



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Lvdovici Molinæ, E Societate Iesv Theologiæ Doctoris, &
Professoris, Commentaria, In primam D. Thomæ partem**

Molina, Luis de

Lugduni, 1622

Articvlvs VII. Vtrum voluntas Dei sit mutabilis. artic. 7.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73915)

anteccedente: ipse autem merito negat voluntatem antecedentem in Deo compensatione actionis peccati, etiam quoad actus substantiam.

ARTICVLVS VII.

Utrum voluntas Dei sit mutabilis.

*Voluntas
Dei immuta-
bilis.*

CONCLUSIO negat, eamque de fide esse patet ex rationibus & testimoniis quib. q. 9. ostendimus in Deum non cadere mutationem. Confirmariq; potest ex illo 1. Regum 15. *Poenitudine non flebitur, neque enim homo est, ut agat poenitentiam.* Atque ex illo Prouerb. 19. *Multa cogitationes in corde viri, voluntas autem Domini in aeternum permanet.* Quae hoc loco dici poterant, dicta sunt q. 9. & 14. art. 13. disputatione 1. & articulo 15.

*Prædictiones
diuinae
semper ve-
ra: quid in
eis interdum
subintelligi-
dum est.*

Circa responsionem ad secundum sciendum est, in omnibus locis Scripturae sacrae, in quibus ex persona, aut iussu Dei affirmatur aliquid futurum, si contrarium eueniat, semper subintelligi aliquid ratione cuius tale dictum nihil omnino habeat falsitatis, aut contradictionis comparatione eius, quod postea euenisse narratur. Porro quod subintelligitur, interdum est, spectato cursu vniuersi, & causis naturalibus: neque enim est aliqua repugnantia, ut quod verè dicitur spectato cursu vniuersi, dispositione praesenti, & causis naturalibus, sit supernaturaliter aliter euenturum. Hac ratione Isaias 39. & 4. Reg. 20. Ezechia ad mortem aegrotanti dixit Isaias. *Hac dicit Dominus: Dispone domui tuae, quia morieris tu, & non viues:* natura videlicet morbi, & causis naturalibus spectatis. At paulò post exaudita est deprecatio illius, supernaturaliterque à mortis periculo liberatus. Interdum verò subintelligitur conditio aliqua, ut cum dicitur futurum aliquid comminatorie solùm, quia id postulant demerita, & ita futurum est, ac sub conditione subintellecta, nisi poenitentiam agant, aut alia simili. Ita intelligitur illud Ionae 3. *Adhuc quadragesima dies & Ninive subuertetur.* Et illud Gen. 20. ad Abimelech, *En morieris propter mulierem quam tulisti: habet enim virum.* Intelligebatur enim, nisi eam non tetigeris, restituerisque viro suo. Vnde subiungitur: *Nunc ergo redde viro suo uxorem, si autem nolueris reddere, scito quòd morte morieris.* In sensu explicato intelligitur capite incommutabilis. 22. quaestione 4. ex concilio Toletano 8. Quia ergo quando in similibus euentibus non fit, quod praedictum est, Deus neque in sua cognitione, neque in voluntate, quicquam mutat. Gregorius 16. Moral. cap. 6. & 18. aliàs c. 4. & 17. ait: *Deum tunc mutare sententiam (externis scilicet verbis prolatam, dum non implet quod praedicebatur, quia deest conditio, sub qua praedicebatur) non tamen mutare consilium:* Atque ita exponit eum glossa in illud Isaias 28. citatum.

Illud verò est hoc loco animaduertendum, non omnia quae Deus praedicit futura in poenam delictorum, dici comminatorie, & sub conditione, nisi poenitentiam egerimus, sed quaedam duntaxat. Translatio enim regni à domo Saul in domum Dauid, quam Samuel Sauli in poenam inobediètiæ 1. Reg. 15. praedixit, absoluta erat, quod intelligens Samuel adiecit. Porro triumphator in Israel non pariet, & poenitudine non flebitur, neque enim homo est, ut agat poenitentiam. Talis etiam erat mors pueri suscepti ex adulterio, quam Nathan 2. Regum 12. praedixit Dauid in poenam delicti. Porro propheta, qui poenas futuras praedicit, interdum nesciunt an illae sint

Artic. vij. viij. & ix.

absolutae, & sine vlla conditione, an verò sint solùm comminatoriae, aut sub conditione. Ionas enim id ignorabat, ut satis constat ex eiusdem historia, id tamen verebatur. Dauid etià ignorauit an poena mortis filij suscepti ex adulterio esset comminatoria: & ob id poenitentiam agebat, antequàm moreretur filius, ut eum à morte liberaret. Isaias item, dum Ezechia mortem praedixit, ignorabat, an supernaturaliter contrarium esset futurum, quod paulò post illi reuelatum est. At Samuel optimè cognouit poenam Sauli esse absolutam, neque vllam habere conditionem. Quae dici poterant circa responsionem ad quartum, dicta sunt circa responsionem ad quartum & quintum articuli tertij.

ARTICVLVS VIII.

Utrum voluntas Dei necessitatem rebus volitis imponat.

C

O c loco explicanda erat radix contingentiae, quae tamen ea de re dici poterant, dicta sunt q. 14. art. 13. disputatione 11. & 12.

ARTICVLVS IX.

Utrum voluntas Dei sit malorum.

S

ENSVS quaestionis proposita est utrum voluntas Dei, quoad actum volitionis, versetur circa mala: quoad nolitionem enim & odium, constat esse malorum, ut patet ex illo Sapientiae 14. *Odio sunt Deo impius, & impietas eius.* Malum autem sumitur latè, ut comprehendit malum culpae, malù poenae, & malù quod est defectus naturae, ut est priuatio frigoris comparatione aquae.

Prima conclusio. Fieri non potest, ut malum, quodcumque illud sit, per se, seu sub ratione mali appetatur à Deo, vel à quocumque alio. Probat, quoniam obiectum volitionis est bonum, sub ratione boni: ergo fieri nequit ut volitio, tã diuina, quam cuiusuis alterius, feratur in malum per se, seu sub ratione mali. Vnde Dionysius 4. capite, de diuinis nominibus. *Nemo, inquit, respiciens ad malum operatur, videlicet, quasi illud per se intendat.* Animaduertitur tamen, id quod qu. 5. ostensum est, cum bonum, quod obiectum est voluntatis, non sit bonum quod opponitur malo culpae, vel malo poenae, vel malo, quod est defectus naturae, sed sit bonum, ut est idem quod conueniens, inde effici, ut saltem quatenus conueniens est Deum pro suo arbitratu posse vri sua libertate, possit de potentia absoluta velle redigere res in nihilum, aut destruere partem aliquam operum suorum, efficiereque priuationem aliquam, quae propriissimè sit malum naturae comparatione eius, cuius fuerit priuatio.

Secunda conclusio est. Malum per accidens, quatenus coniunctum est cum aliquo bono, terminare potest appetitum ac volitionem ratione boni, cui est coniunctum, ut leo, ex directione primae causae, appetit ouis interfectionem (quod malum est ouis) ut famem expleat, propriamque vitam alat: quod bonum est eius, cum malo tamen ouis coniunctum. Fornicator item vult malum fornicationis propter bonum delectationis.

Tertia conclusio. Deus neque praedicto modo vult malù culpae: vult tamen illud permittere. Prior pars est de fide, demonstrataque est in Concordia q. 14. art. 23. à disputatione 30. Posterior verò artic. 6. disputatione 2. est ostensa.

Quarta conclusio. Deus vult malum poenae. Haec est de fide, quoniam de fide est Deù punire impios

*Quaestio
sensu.*

*Prima con-
clusio.
Malum quod
vult, non per
se appetit.*

*Secunda
conclusio.*

*Malum pos-
se per acci-
dens appeti
ratione ad-
iuncti boni.*

*Tertia con-
clusio.*

*Malum cul-
pae nulla ra-
tione Deus
vult, sed per-
mittere tan-
tum.*

*Quarta
conclusio.*

*Poenam mali
Deus vult.*